





1707.19<sup>2</sup>

GEORG. ERNESTI STAHLII,  
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR.  
h. t. FACULT. DECANI,

PROPEMTICON INAUGU-  
RALE

DE

CONSTANTIA  
MEDICA.

28



Leganter, ut fere universa quæ tractat, observat Seneca, quod tam sacrares sit Philosophia, ut illis etiam, qui ipsam de reliquo non vere agnoscant, ne dum sequantur, mendacio placeat. Dispiciunt quibus ad soleritiam exercendam justum etiam otium suppetit, quid in hac materia etiam de literis Philosophiae pretextibus varie verum sit; quomodo nempe Literatorum nomen tam pulchrum videatur plerisque hominibus, ut vel ineptiis, saltem aliquo labore corrasis atque compilatis, Doctorum Virorum opinionem captare, in animum inducant: At immenso numero major, in universa hominum turba, est eorum numerus, qui circa moralē, & imprimis ipsam Practicam vere, Philosophiam, adeo avidos sese exhibere observantur, ut, si quidem illos ipsos audias, omnes antiquæ Philosophiæ Coryphæ post se relinquere, non solum credere deberes, sed vel injuriarum reus fieri, si dubium solum de talium virtutum sincera puritate fovere videare, ut ille intempestive curiosus, qui penitus inspicere audebat, an ab Alexander vulnere fluat: Ιχνε ὡς πέι μαραζότι θεοῖσι. Si vero missis verborum ambagiis aut lenociniis, imprimis quæ de se ipsis proferunt, aut a mediastantis suis sibi dictari gaudent, ad ipsa facta manifesta atque praxes animad ad vertas, vel horreat ille, si illa intueare, quæ exerceant circa veritatem, humanitatem, humanitatem, sinceritatem, circumspetionem, prudentiam, diligentiam, seriam, in rebus maxime seriis, vigiliam; ne quid de temperantia, pietate, & in Deum magis quam homines fiducia, iustitia & aequitate, veraque probitate dicam, altioribus nempe utique virtutibus, in quibus proficere, si in illis, excepta tamen Veritate, abecedariis defeceris, insana spes fuerit. Quemadmodum autem officii mei non esse satis agnosco, neque valeam etiam fortassis, censuram publicorum morum exercere; tamen illud nemo merito vitio vertet aut πολυπεγμωσύνη imputabit, si virtutis, utquidem ad universam vitam, ita imprimis etiam ad Artes Medicam, non magis utilis, quam revera necessariae, censem agam, &, si quid de illa

illa nota dignum manifesto ostendatur, si non ipse tribu moveam, tamen ad novos censores rejiciam, & nomina deferre jubeam. **CONSTANTIA** est de qua loqui institui, Virtus, & qui-dem intra communis Reipublicæ fines, MEDICA. Quid humani generis intersit, ut quolibet vocis sensu, *conset*, quid de vita, sanitate atque *integritate* ejus, statuendum atque faciendum sit, puto neminem esse, qui magnopere dubitare possit. Hoc vero nunquam imperatum atque constitutum iri, quam diu qui *constituere* debebant, *Constantia* destituuntur, puto nihil magnopere dubii in volvere. Non loquor de *internâ* ipsius rei *Medica Constantia* inconcussa, seu *Artis in abstracto* veritate; sed de *midis*, illam in *concreto*, in usum deducendi, imo vero etiam *docendi*, & ad posteros transmittendi. Serum sit, & hoc intuitu revera ineptum, disputare, an hujusmodi animadversioni etiam sit *a priori* locus: An, inquam, casus ille detur, ubi opus sit admonitione, ut *constantans* *aliquid constituantur*, circa ipsam *Artis veritatem*, cui insistere vere sit integrum? Quantumcunque enim certe indignum hoc videatur, in Arte tam necessaria, ejusque adeo quotidiano usu, uondu[m] esse firmiter *constitutum* quicquid vere sit necessarium; tamen cum jam in ipsum vulgus emanaverint hi defectus, non solum stolidum sit *adversus solem mejere*, sed etiam profecto perditum, tegere potius adversus Veritatem morbos nostros, quam profitendo illos, medicinæ locum relinquere, imo vero opem necessariam potius implorare. Arguenda autem hoc intuitu meritisimo jure venit, solemnis illa *inconstantia*, qua in exquirendis ipsis rebus, dico potius *conquirendis*, quas usibus nostris Medicis adhibere necessitas postulet, nulla sit *constantia*, nulla adhibetur assiduitas, sed quicquid in buccam venit, temere arreptum, jam *positive*, jam *negative*, constituantur; constituto vel *superfruatur* alia prolixa, & circa res tam *utiles*, quam prorsus *necessarias*, deductio: Imo asseratur, quod tales res e *multiplici* non solum, sed etiam *longa* atque *constante* circumspeta observatione ita natæ, partæ, atque firmæ tandem sint. Eos, qui illo ipso tempore diversum proposuerant, atque commendaverant, ita *imperitie*, *inscitie*, *præoccupationis*, suspectos reddere; & Viros in hoc generi vere laude dignissimos, quia *nomen* illorum nescias, ad

minimum de parte notatos, & ad plurium annorum contan-  
tem experientiam prouocantes, contrarie, plurium annorum, affi-  
due, experientiae testimonio, ita sublestè fidei notare: Post ali-  
quod autem temporis spatium, illas ipsas tales res ipsum quoque  
profiteri, laudibus ad cœlum ferre, viros tales, (quamlibet etiam  
ne nominibus quidem justis notos, nedum ut quid proprie mere-  
antur rebus suis, verum atque solidum testimonium perhiberi  
possit,) iterum maximis elogiis efferre, & hisce τεοΦασ, illam i-  
psam suam multiplicem experientiam, quæ antid. hac pro contentu il-  
lorum, falsum testimonium dixerat, jam ut contrarium teſſeretur, in  
medium forum producere. Certè si pudor suaderet, injuriam  
fidei, atque industriae aliorum factum, παλωδια simplici emen-  
dere, tamen circumstedi forte hoc facere expediret, quam  
ita, justissimè profecto, animadversioni ſiſtere detrahendos refutet,  
qui tam pro dampnando bono Viro, & ipsa Veritate, quam libe-  
rando illo, adeoque qualibet acceptione vocis calumniam jurare,  
audacissime parati ſint. Praefaret ſine omni dubio constantiam  
animi etiam in rebus prioribus talem adhibuisse, ut non preci-  
piti imperu, quicquid ab aliquo dicitur, imo ne totum quidem  
adhuc dictum, ſed mentio forte ſolum de illo injecta eſt, illud  
ſtatim ſibi tanquam pro ſcopo ſtatuere, quod contradictionibus  
ſimplicibus feriendum atque traducendum ſit: Quam deinde  
fero hujusmodi revocationes iſtituere, quæ nemini acceptæ eſſe  
poſſit, poſtquam jam deducta cauſa, non proſincertis, ſed revera  
neceſſaritis culpa confeſſionibus valere poſſint. Quantumvis et-  
iam porro mutationes ſententiārum, e minus idoneis in meliores,  
vel ſponte iſtituantur, vel neceſſitati cuiquam cedendo fuſcipi-  
untur, quicquid etiam in iſpis primis harum rerum productio-  
nibus optime valere potuifet condigna rerum ponderibus cer-  
titudo, prius quærenda, quam in medium prodrudatur, quod de-  
inde ſervari non poſſit: Ita alienum tamen eſt, novo rurſus ex-  
emplo a laudabili conſtantia, ſi ad agnita jam paſſim errata, denuo  
ſemper reſpectando, imo, vel reſtimonii loco illi reuocando, ſpe-  
cimen verum edatur fluctuantis animi, & nusquam ubi vere con-  
ſiſtere poſſit, obtinentis: Imo deterioris adhuc argumenti reſ-  
eſt, quando etiam ſemper ad illa iſpa reflectitur atque refugit i-

pſe

pse animus , quæ paulo ante tanquam *confidere* nescia , dimitten-  
da fuerunt . Ita enim ut ab *indole* , ita pariter a *tanta Constantia* a-  
lienum est , novam aliquam rem , aut prötritam etiam inter alios ,  
sed *prona* arreptam , avidè occupare , in ore , in manibus per-  
petuo ferre , in usum promiseum corripere : Magnifice de his  
sentire , i agentia promittere , dubitantibus indignari : Mox re-  
frigescente imprimis impetu , quin etiam animadversis tandem  
denique promissorum eventuum solidis frustrationibus , his  
quidem repudium mittere , sed ad paria alia inania rueret , etiam  
plura . Quæ vero præsentior atque levior est *inconstantia* , quam  
passim etiam *directe contraria* sentiendo atque proferendo , jam  
*affirmare* , jam *negare* ; Imprimis autem *dicitur non dicta facere , facta non facta* dicere : Dicere atque facere , quæ vel post paucas horas  
commeminiſſe ad minimum negandum sit : Quæ tamen e re nostra  
funt , tenacissima satis memoria , in promptu habere ; nisi quod  
ibi etiam non semper , nedum diu , circumstantiæ *sinceram* con-  
stantiam servent , sed familiarissime etiam varientur , manifesto-  
ribus tamen *memoriationis* , quam *memoria* vitiis . Ita etiam in ipsa  
Practica administratione , jam hunc nominare , jam alium , illum  
qui præ manibus est , affectum , *constantia* certe non est : Jam hanc  
laudare , jam illam methodum , nihilo magis . Quin patientem  
ex uno morbo in alterum , & penitus e levore *ingraviores* , conji-  
cere , damnoſa certe est *inconstantia* . At ultima vere inter ta-  
les , sed propemodum *justissima* , est illa *inconstantia* , quando quo  
diutius , variis tropis hæc talia sustentantur , atque de tempore  
in tempus ſufficiuntur , tamen magis magisque fatigentia fi-  
culnea fulera , hujusmodi , tanto magis defituunt , quanto plus  
opus erat firmitate . Ubi certe allegatus ille in principio , *Pbilo-*  
*philosophia* obtentus , minus invenit locum ; Quando nempe sub ta-  
li caſu allegatur antiquus ille verſiculus : Undanc in fine : nam  
alii excipiunt , & res producunt ; Man habe einen kennen lernen .  
Quemadmodum autem talis horum generum defectus decentis  
*constantia* , parum laudis in Medicina meretur , aut uſus exhibet ;  
Ita cavendum tamen est etiam ab illo , ut *Seneca* ait , *Mendacio pbilo-*  
*philosophia* , ſeu mendaci ejus obtentu , quando ſimplici *Fertinacē*  
hoc nomen aſſeritur ; & nullis auditis *rationibus* , nullis experi-

mentorum demonstrationibus, nullis exemplorum inductionibus, locus datur: Sed irritis suis rebus firmiter inhærendo, Constantia laus speratur. Ubi certe sëpe numero præstaret, & reliquos ætatis suæ contra juniores, & præxeos suæ contra attentiores, annos enumerare. Misérum merito appellat Seneca, testimonium, se nullum aliud habeat Senex quod diu vixerit, præter atatem. Sicut enim merito Alexander maxime idonea parabola facculi piperti, retudit modios stupidi atque fatali papaveris Darii; Et deductionibus etiam præstitit, quod lemmate promiserat: Ita nihil magis absconson est, quam constantem experientiam in manipulo canitiei ostendere velle, circa illas res, quarum veritatem tum *a priori*, secula integra potius tuentur, tum *a posteriori*, quotidiana experientia Præctica, non solum ob oculos sifist, sed in ipsis etiam omnino crassos sensus ingerit. Adhuc autem magis absconsa est illatio: Tot sunt anni, ex quo præxin exercere velle capi; Ergo dubium non est, quin numerosam atque locupletem illam exercuerim. Certe enim si hujusmodi Medicus v. g. in oppido annos suos vivat, ubi opificiis partim, partim agriculturæ dediti degant plerique homines, & magis secundum naturam vivendo, facis alieni sint a morbis: Plures etiam, ut hodie vere fit, in uno illo Medici vivant atque præxin exerceant: Quis fidem temere abullo exigat, quod talis Medicus necessario potius in mente, quam forte in anno, decem patientes curandos habuerit, qui diversa specie morbis affecti fuerint? Dico, vere *morbis*; & non forte ex *Intemperantia crassa cervisiae*, aut *acida posca*, aut *piscium carniumque salitarum*: Talium nempe rerum attinet *Observationes* scribere; & ita quoque scribere, ut ex illis si paucæ proferantur, ex *angue Leonem* noscere liceat! Non contemno subsidium memoriarum sive ira concinnandum, si talis illa sit, ut *exemplis* potius *Methodicorum*, quam *ratiobibus* vere *Dogmaticorum*, stare necesse habeat: Sed similia aliis narrando, obtundere, in civile profecto sit, & non otiosis, neque prorsus *stupidis* obtrudere, omnino odiosum. Par etiam est *persinacia*, *paralogismi*, nec *æratis*, neque *artis*, suæ mensuram decentibus, de medicamentorum efficacia talia afferre, imo vel *urgere*, & in illo nervum rei collocare, in quo potius quod *noceant*, quam quod *profint*, ex ipsa tali illatione, elucefat. Sed non permittit præsens

sens institutum latius hæc exequi. Sufficerit extantiora talia indicasse, & ut harum rerum cautio sit, solidam & in se non fluxam sed constantem omnino, sincere tamen *talem*, *Artem*, *soteriam* sectantibus atque colentibus, monuisse.

Præmittere hæc placuit publicæ commendationi natalium, morum, atque studiorum.

**DN. CHRISTOPHORI BERGHAUERI**

Gardelegiensis Palæo - Marchici,

MEDICINÆ CANDIDATI DIGNISSIMI.


**N**atus hic est Gardelegiæ, Patre Viro Amplissimo atque Consultissimo DN. JOHANNE BERGHAUERO, Se-natore & Jurium Prætico optinæ famæ; Matre pia atque honestissima fæmina, CATHARINA DESSOWS, ante hos quatuor annos cœlitibus adscripta. Hi parentes optimi, a teneris unguiculis, pietati, probitati, & bonarum litterarum, ad quas cupide ferebatur animus, firmis fundamentis filium hunc imbui omni cura atque studio allaborarunt; Eoque nomine tum Scholæ Civitatis publicæ Præceptoribus optime meritis, tum Informatoribus domesticis instituendum commendarunt. Stendaliam inde, & tandem Magdeburgum in Cathedralem Scholam transmissus, adolescentiam suam in excolandis humioribus studiis optime collocavit, & ingenium animumque pulchre expolivit. Postquam tandem ad altiora recte comprehendenda optime instrutus judicatus est, Regiam hanc Illustrissimam Academiam adire jussus, operam ibi quidem primo, & laudabili certe consilio, Philosphicis Disciplinis optime comprehendendis addixit; ubi Excellentissimi THOMASHI, publicas privatasque Philosophiæ, præcipue moralis, explicaciones atque doctrinas, diligentissime audivit: Pl. Reverendo & Exc. etiam BUDDÆO, Rationalem, moralem, & naturalem Philosophiam docenti, tribus deinceps Collegiis, auditorem industrium & indefessum sese præbuit. Mox ad Jurium studium, quod amplecti jussus erat, se convertens, publicis privatisque Collegiis Celeberrimorum Professorum, strenuam operam navavit. Ita Illustrum STRYKIU, Consiliarium intimum

Regi-

Regium, & Facultatis Jurid. Ordinar. gravissimum ad Instituta, Digesta, Codicem, Capitulationem Josephi, auream Bullam & Introductionem ad Praxin forensem, dexterime docentem summa cum assiduitate audivit. Excell. etiam STRYKIJUM, juniores, B. Struvii Jurisprudentiam Rom. Germ. explicantem: Consultiss. etiam Viros, Professores Extraord. BRUNNEMANNUM ad Instituta commentantem & examinantem, BOEHMERUM, Jus Feudale docentem, sedulo audivit. His studiis cum triennio fidelem operam navasit, tandem perpetuae animi sui ad Medicam potius artem propensioni indulgere, secum constituens, ad hujus studium totum se convertit. Hujus rei causa Magnificum, h. t. Pro - Rectorem HOFFMANNUM, Physica experimenta, Anatomiam Chirurgicam, Casus Medicos forenses, tractantem, & quatuor demonstrationes Anatomicas utriusque sexus cadaveribus administrantem, attente audivit. Me quoque Physiologica, Pathologica, Chymiam, & Praxin Clinicam tradentem, studiose audire non neglexit. Privatore quoque institutione Experientissimi D. ALBERTI, Med. Practici optimi nominis in totum Cursum Medici studium, usus, quo Praeside etiam Disputationem publicam de HÆMORRHAGIÆ NARIUM VERA PATHOLOGIA Ventilavit. Adjicit etiam Jenensem Academiam, ubi Professores Excellentiss. WEDELIUM & SLEVOGTIUM per aliquot Menses audivit. Circumacto inde per celebres aliquot urbes itinere, ad nos reversus, modeste petiit admitti ad examina consueta pro impetrandis Juribus atque privilegiis in arte nostra supremis. Quo concesso profectus nobis exhibuit, ita dignos, ut ipsi propterea aditum ad supremum specimen publicum exhibendum denegare non potuerimus. Patebit itaque illi Cathedra proximo XXVI. Febr. ubi de MEDICINA SINE MEDICO Inauguralem Disputationem publice ventilabit. Cui actui solenni, ut honorifica presentia sua, eximium splendorem conciliare velint, Magnif. Academia PRO-RECTOR, Illustrissimi, Illustres, Maxime Reverendi, Excellentissimi, Generosissimi, Nobilissimi, atque Doctissimi, Academiæ nostræ Proceres, Fautores, Cives, Hospites, pro offici ratione, eum omni honore debito, invitamus: P. P. Hal. Magdeb, X. Cal. Martii,

M DCC VII.

(L.S.)




halle, Diss., 1707 H-80



Mug 12-19a  
nicht verbinden





1707.19.<sup>28</sup>

GEORG. ERNESTI STAHLII,  
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR.  
h. t. FACULT. DECANI,

PROPEMTICON INAUGU-  
RALE  
DE  
**CONSTANTIA**  
**MEDICA.**